



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 53. Legati Pontificii in Bulgaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

tii anno 862. data. Tertio duæ Episto- Sæculum IX.
 læ per Leonem a secretis altera Impe- A. C. 866.
 ratori, altera Photio redditæ. Post hæc
 exemplaria descripta continuatur Episto- ep. 4.
 la ad Orientales, occurritque Decretum ep. 5.6.
 Concilii Romani anno octingentesimo
 sexagesimo tertio celebrati. Sequitur ep. 7.
 Epistola ad Imperatorem Michaellem per
 Michaellem Protospatharium delata, qua ep. 8.
 finita legitur Epistola ad Orientales. Tan- p. 235.
 dem exemplaria octo Epistolarum, quas
 paulo ante memoravi, & tres Legati
 Donatus, Leo, & Marinus deferebant.
 Credibile est, iisdem hanc Epistolam ad
 Orientales etiam fuisse commissam.

§. LIII.

Legati Pontificii in Bulgaria.

Tres Legati in Bulgariam pervenientes *Anast. in*
 unacum duobus aliis in hanc regio- *Nic. p. 265.*
 nem directis perbenigne excipiuntur a
 Rege, & isti quidem duo illico Evange-
 lium prædicare incipiunt. Tribus ve-
 ro aliis Constantinopolim ituris, jamque
 iter aggressis, quidam præfectus, qui ibi
 Imperii terminos custodiebat, obstitit.
 Is quippe adventantes ignominiosissime
 habens, & capita equorum, quibus insi-
 debant, feriens dicebat: *Quid Impera-*
tori, & vobis? Ipse Imperator ad Bul-
 garorum Regis Oratores in Palatio suo
 diversantes dixit: *Nisi Papæ Legati per*
Hist. Eccles. Tom. XII. *O* *Bulga-*

Seculum IX. *Bulgariam iter arripuissent, nunquam
A. C. 866. amplius, quoad vixissent, nec me, nec
Romam conspexissent.* Igitur tres Legati, postquam per dies quadraginta commorati fuissent, cum intelligerent, se secundum Imperatoris mandata tam probrose tractari, viam relegere compulsi sunt, itineris sui fortunam Romam narraturi.

In Bulgaria Legati Pontificii, Paulus & Formosus Episcopi, plurimos de populo ad Christum conversos sacro fonte abluebant, eorumque prædicatione & doctrina Rex Michael ita afficiebatur, ut ejectis e Regno suo omnibus aliarum nationum præconibus, solos Romanos verbum Dei annunciare præceperit. Tum missa Romam secunda Legatione, a Papa petiit, ut Formoso Episcopo Dignitatem Archiepiscopi Bulgariae tribueret, & plures Presbyteros daret, qui conversioni gentis suæ operam impenderent. Papa felici nuncio lætissimus, compluribus Presbyteris ad examen vocatis, quos tanto operi idoneos reperit, in Bulgariam misit cum duobus Episcopis, Dominico Triventino prope Beneventum, & Grimoaldo Polymarteni (*) in Hetruria. His mandatum, ut ex his Pres-

(*) Istarum civitatum nomina hodie non amplius occurrunt.

Presbyteris aliquem Archiepiscopali fastigio dignum eligerent, quem deinde Romam mitterent a Papa Consecrationem accepturum; ne Formosum Episcopum gregi suo eripere cogeretur. Præterea Paulus & Grimoaldus Episcopi in Bulgaria remanere jubebantur, novellam Ecclesiam suo labore rigaturi, Formoso autem & Dominico præceptum, ut viam Constantinopolim ad componendas ibi schismatis turbas denuo tentarent.

Sæculum IX.
A. C. 866.

§. LIV.

Constantinus & Methodius Sclavorum Apostoli.

Sub idem tempus & forte per Epistolas ab iisdem, quos memoravimus, Legatis delatas Nicolaus Papa duos fratres Constantinum & Methodium Bulgarorum Sclavorumque Apostolos ad se venire iussit. His Thessalonica patria fuit, atque Constantinus, cognomento Philosophus ob Philosophiæ amorem, a parentibus Constantinopolim deductus & Presbyter ordinatus est. Cum Chazares, missis ad Imperatorem Michaelem Theodoræ filium legatis, petiissent virum, qui eos Fidem Catholicam edoceret, ne hinc a Judæis, illinc a Saracenis, eos suis erroribus inficere conantibus, perverterentur. Imperator Patriarcha,

vit. ap. Boll.
9 Mart. to.
7. p. 19.